

PK 5715, 33

X 186 2369



B. F.
Ad
**LUDUM SCA-
CHIUM**

In
LUDO ALTENBURGENSI
SERMONE VALEDICTORIO

V. Eid. Junii A.C. clc lcc LXXVI.

describendum

Omnes honestæ recreationis Fautores
officiose atqve amanter

invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
RECTOR.

Altenburgi, apud Gothofredum Richterum,
Typographum Ducalem.



B. F.
A. 13

LUDWIG SCHEIDT
CHILM

LUDO ALTBURGENSESI
SERMONE VATEDICTORIO
IN DIE JUBILAEI DE S. PETRI

de obsequio
sacrosanctae romanae ecclesiae
in diebus
M. MARTINI SACRATISSIMO
RECTOR





L. B.

S.



Imperatori Tiberio Claudio, Alexi, Eubulo, Cœlio Calcagnino, Danieli Souterio & Andrea Senflebio nullus unquam, quod ego quidem sciam, vitio vertit, quod *aleam* publicis scriptis dederint illustratam, neq; mihi de eadem pauca scripturo erit turpitudini. Non quidem me latet, quod *alea legibus vetita* Venulino vati l. III. od. 24. audiat, quodque Justinianus peculiari lege eam prohibuerit: neque ignoro, *aleatorem* ab Aristotele iv. ad Nicom. I. *furi* atq; *latroni* comparari, & ab Hispanis *Tahur*, i.e. *furem* nominari. Sic & me non fugit, quod Augustus Imper. *alea* plus nimio indulgens hoc scommate fuerit notatus, teste Svetonio c. 71. Postquam bis classe victus naves perdidit, Aliquando ut vincat, ludit assiduò *aleam*. Cognovi quoque, quæ Autor libelli de *aleatoribus* Cypriano male tributi, Franciscus Petrarcha
in

in Dialogis, Lambertus Danaus, Paschasius Ju-
stus, Thomas Gatakerus aliiq̄ve, quorum senten-
tias in unum fasciculum collectas Johannes Min-
ster in *Vortlage* edidit, contra *aleam* proposue-
runt. Nec ignarus sum, Canones, qui tamen sup-
posititii, Apostolorum can. 42. & 43. & Synodum
Constantinopolitanam in Trullo A. C. 686. habi-
tam can. 50, *aleam* Clero sub minis depositionis
interdixisse. Hæc omnia tamen me non tan-
gunt, tantum abest, ut à meo me proposito aver-
tant, cum de *alea*, ut Juven. sat. XIV. 4. appellat,
damnosa & abusu, pessimo optimæ etiam rei in-
terprete, veniant accipienda, non de moderato &
licito usu, qui omnino concedend⁹, si *alea* utimur
ut somno & cæteris quietibus tum, cum rebus
gravibus seriisque satisfecerimus, quâ ratione Scæ-
volam Jctum forensibus ministeriis defatigatum
aleæ vacasse refert Valerius Maximus VIII. 8.

In *alea*, quæ ex plurimorum opinione *Pa-
lamedem*, Nauplii, Regis Eubœæ, filium habet au-
torem, diversa ludorum genera & antiquis &
modernis temporibus fuisse usitata, nemini non
constat. Primum occupet locum *πλειστοβελινδα ἀπλεί-
στον* & *βαλλω*, alio nomine *τρηματισμός*, quæ juxta Pollu-
cem l. VII, Onom. c. 33. & l. IX. c. 7. luditur, cum
ludentes, quis plura numero puncta mittat, inter
se contendunt, & in singulas unitates singulas dra-
chmas

chmas aut stateres conferunt, quos deinde jactu aliis superior auferebat. Atque hac ludi specie milites de tunica Christi inconsutili sortem mittentes usos fuisse conjicit Daniel Heinsius Exercit. in Nonnum.

II. διαγραμμισυδς, γραμμισυός sive γραμμα *lusus linearum* à lineis rectis, quibus schema describitur, ut censet Calp. Peucerus de divinat. generibus p. 401. Olim 60. calculis partim albis, partim nigris de loco in locum deductis ludebatur. Cum nostro *Dammarum* ludo convenire, multi arbitrantur.

III. καλκισυός seu καλκινδα, quando par impar nummis æneis ludebatur.

IV. πετρία à verbo πέπειν cadere, à quo Homeri Scholiastes derivat, vel à πένηε quinq; scilicet tessellis, quot hoc in ludo adhibebantur, licet Zenobius tribus tantum veteres lusisse contendat. Ludebatur autem quinq; calculis in laterculo totidem lineis distincto, quarum media ἰσρά γραμμή vocabatur & tunc finis ipsi impositus, quando duo calculi concolores discolorum tollebant. Adr. Junius I. II. Animadv. c. 4. Palamedem hujus ludi allegat inventorem.

V. αστραγαλισυός ἀπὸ τῶν ἀστραγάλων dictus, *ludus talorum*, quatuor talis exercebatur, quorum unusquisque casus quatuor habebat, non senos. Qui Venerem, sive Veneris jactum, quo tali in eandem

faciem non cadebant, miserat, præmium propo-
situm aut jus eligendi in sorte consequeretur.

VI. *Dama* forsitan à *Dama* s. Dorcade, ca-
prea sylvestri, ex cuius cornu scrupi confecti, no-
men trahit. Talos enim ex illius cornu paratos, qui-
bus plerumqve divites ludebant, testatur Theo-
phrastus in charact: Eth. Adhibentur autem ab u-
traqve parte xxiv. scrupi, qui geminâ acie colore-
qve distincti in tabulâ lusoria ejusq; areolis nigro
colore tinctis promoventur & tam diu se invicem
prosequuntur, donec altera cohors penitus ejecta,
aut ad incitas redacta.

VII. *Lorzius*, Germanis *das Verkehren* / tri-
ginta scrupos requirit, qui pro tesseriis duabus di-
versè cadentib⁹ in alveolo variè collocantur: quis-
qve autem collusorum in campos alterius vacu-
ose eosdem transferre & quinque ligas conficere
conatur: qvò facto is tandem victor evadit, qui
sex vel septem adversæ partis orbiculos ejicit aba-
co iterum non imponendos, qvòd vernacula lin-
gva vocamus *Lorisch machen* / aut suos prior tabu-
la lusoria eximit. Hunc ludum egregio carmine
heroico Carolus Leuschnerus, Misnensis de scri-
psit, qvòd Amphitheatro suo T. l. f. 653. Caspar Dor-
navius inseruit.

VIII. *Dickdack* / sive *Trickdack* juxta Joh. Jon-
stonii Polymath, Philol. l. II. c. 35. tot, qvòt *Lorzi-*
us

ius, orbiculos postulat ad duarum tesserarum iactum sic disponendos, ut oppositæ partis scrupos ejiciant, aut abacum percurrant, aut angulos è diametro oppositos seorsim vel conjunctim occupent, quibus modis victoria obtinetur.

IX. *Buff*/ in quo ludo uterque ludentium unam alvei partem, cui 30. scrupi imponendi, eligens eo respicit, ut tesseriis feliciter cadentibus pontem sex ligis constantem struat, suosque orbiculos primus auferat. Parum ab eodem *Contra-Buff* & *Regal-Buff* discrepant.

X. *Mola, die Mühle* / ludus vel pueris etiam notus, in quo 18. calculi diversi coloris in cardinibus & mutuis intersectionibus linearum rectarum quadrati diagrammatis ducuntur.

XI. *Das grosse Königs Spiel* / cujus originem *Christoph. Weickhmanno*, Patrio Ulmenfi, debemus. Hic enim ludum Scachium ita immutavit, ut triginta calculi, quos cuivis tribuit, in lineis non quadratis, sed rectis & decussatis, ductibus quatuordecim, promoveantur. Tractari autem potest, non à duabus solum, ut Scachia, sed tribus quoque, quatuor, quinque, sex, septem aut octo personis, & tunc nonnisi 240. calculis instituitur. Si inter duos, sexaginta adsint calculi, quorum partem dimidiam sibi quisque vendicat. Calculos nomine & numero paucis recensebo.

*Rex,
Mare-*

Mareschallus, Colonellus, & Centurio equitum,
unitatis numero appareant: binario autem *Can-*
cellarius, Consiliarius, Praeco, Sacerdos, Eques,
Cursor & Adjutans: ternario *Satelles & Latro,*
ac senario Miles. Prolixius ipse Autor in libello,
Neu erfundenes grosses Königs spiel / Ulmæ 1664.
f. edito, omnia exposuit, additis 60. observationi-
bus politicis & moralibus.

XII. *Scachia, ludus Scachius, Schachspiel /*
qui inter omnes subtilissima est inventionis judi-
cio Hier. Cardani l. XV. de subtil. & proinde à Ja-
cobo VI. Rege Britannia M. filio Carolo prohibi-
tus, ut ex dono regio l. III. p. 162. videre licet. Ab
antiquo autem *latrunculorum ludo* non est di-
versus, ex mente Marc. Donati in F. Vopiscum,
Thomæ Dempsteri paral. ad Rosini l. V. A. R. c. l. &
aliorum, quicquid etiam Coelius Calcagninus l.
de ludo talorum, tesserarum & calculorum &
Raderus not. ad Martialem, obvertant. Oppo-
nunt autem in ludo *latrunculorum* quinque dari
lineas & 16. quadras, nullum conspici Regem &
Reginam & comite semper opus esse: in *Scachia*
vero novem videri lineas & regiones 64. Regem
item ac Reginam adesse, nullumque requiri co-
mitem. Verum enim vero quâ facilitate oppo-
nuntur, eadem etiam refutantur. Diversitatem
quo ad linearum numerum concedimus, quam
ta-

tamen eadem prorsus utroq; in ludo procedendi
ratio iterum tollit. Deinde invita dicitur veritate,
Regem & Reginam in ludo latrunculorum nun-
quam comparuisse. Contrarium Daniel Soute-
rius in Palamedel. I, c. 2. multis exemplis probavit.
Præsentia deniq; comitis vel absentia ab arbi-
trio lusorum dependet, & propterea Scachiam à
ludo latrunculorum non reddit diversam. Lu-
dus autem Scachius, quem descriptum dederunt
Augustus, Dux Brunovicensis & Luneburgensis
linæ Gvelfherbytanæ sub nomine *Gustavi Se-
leni* l. IV. lingua vernacula, *Hier. Vida*, Episco-
pus Cremonensis genere carminis heroico, quod
inter ipsius opera Lugduni 1603. 12. impressa, ut &
in Dornavii Amphitheatro T. I. f. 644. comparet,
quodq; *Lucas Wielius* notis illustratum Argenti-
næ 1604. 8. edidit, *Julius Ascarius Tuecius* carmine
Latino à Dornavio l. c. recensito ut & libellus Ger-
manicus cum tit. *Stein. nñ Schachtspiel* Franco-
furt. 1650, editus, cujus autor notas Wielii Latinas
Germana induit veste, paucis ex Gustavo Seleno
adjectis: Ludus, inquam, Scachius facultatis ima-
ginativæ beneficio exercetur, ut Janus Huartus
in Scrutinio ingen. p. 304. judicat, judiciumq; da-
mici sui, confirmat, qui cum famulo ludens sem-
per inferior discessit & proinde indignabundus
B dixit:

dixit: *Ecquid hoc rei est, quid subest mysterii? tu, qui neclatinitatis quidquam, nec tantillum Dialectices ac minus etiam de Theologia didiceris, quancquam multum & temporis & opera in his studiis omnibus insumtum à te fuerit, tu, inquam, me superes, qui Scoto Thomag, totus turgeo? fieri ne per naturam potest, ut meliori atq; ego ingenio polleas? certè monstri quid res alit: nec mihi aliud in mentem venit, nisi quod tibi aliquis Demon sit, qui ludi secreta tibi detegat.* Scachia autem honesta & ingeniosa ludendi ratione, in qua hoc unum fugiendum, ne nimium scire videamur, ut Castilion l. 2. de aulico censet, nimium quantum delectati fuerunt Germani, quod vel exemplum *Lotharii Imper.* docet, qui à nimio in ludum illum amore cognomen *Aleatoris* reportavit, ut *Cyr. Spangenb. l. II. Chron. Qverfurt. c. 21.* annotavit. Id quoq; testantur incolæ pagi *Stropeka*, Dioceseos Halberstadiensis, qui novo Episcopo homagium præstantes tabulam Scachiam & latrunculos ex argento confectos offerunt, & ob insignem peritiã censu tributisque dandis sunt immunes. Nec aliud insignia Ducum *Juliacensium*, *Marchionum Badensium*, *Principum Anhaltinorum*, *Torgaviæ & Ascaniæ* volunt, in quibus tabula latruncularia videtur. Qui Comitum *Rochlicensium* insigne assumpsit, à Scachio ludo:

Iudoprocul dubio non abhorruit. Illud autem tres ostendit *Rochos* sive Elephantes utrumq; tabulæ inferioræ angulum occupantes, à quibus oppidum quoque Rochlitium nomen suum duxisse putat *Matthesius*, Consul Rochlitiensis part. III. Chron. Rochlit. Msst. c.5. Quid tabula Scachia parieti orientali templi cathedralis Numburgensis prope altare affixa indicet, nondum potui investigare. Nec silentio est prætereunda *tabula latruncularia* depicta, quam Arx nostra in conclavi interiori Serenissimi Principis asservat; Exhibet enim *Johannem Fridericum* Electorem Saxoniae, nem. fel. cum *Ernesto* Duce Luneburgensi latronum prælia, ut loqui amat Ovidius, ducentem, quem fatali sententiâ à Duce Albano denunciata dicitur cohortatus, ut Scachiis ludere pergeret, quod generosi animi indicium Scipio Amiratus disc. polit. in Tac. l. XII. c.2. p. 347. interpretatur. Observabis autem in eadem calculos ita collocatos, ut etiam hoc in ludo versatissimus, quid ferat iudicii, planè nesciat. De nomine, origine, usu, requisitis aliisque ludi *Scachii* non dicam, quoniam id laboris jam tum probe expectavit Juvenis ab ingenii dotibus & morum probitate cuius bonorum commendandus

JOH. FRIDERICUS Reib. Viri quondam
Amplissimi, Prudentissimi atque Integerrimi Dn.
JOH.

QK 75483
JOH. FRIDERICI Reits/ Domus Teutonicae
Praefecti meritissimi, vñ cu dyt is, filius unicus &
nepos Dn. SEBASTIANI Reits/ Cameraerumq;
Feudalium Secretarii praecclare meriti, Avo Patre-
qve dignissimus. Praestitit autem hoc in oratione
literata de *Scachio ludo* multis lucubrationibus e-
laborata, quam sub discessum ad diem crastinum
hora II pomer ^{dyt is} habere secum constituit,
si locum exercitiis Oratoris destinatum virorum
eruditorum confessu videbit conspicuum. Ut au-
tem videat, Tui, L. C. est consilii, tuae humanitatis
atqve benevolentiae multis modis haectenus de-
claratae. Ad his proinde rogo, benignis excipiens
auribus, quae partim Juvenis singularis expectati-
onis de *Scachia* est commentatus, partim ipsius
Sympalae stritae composuerunt; Nam

JOH. MARTINUS Zeidler/ Alt. Graeco

MICHAEL Werner/ Eisenbergensis, Latino


JOH. CASPAR Zenner/ Alt. Germanico &

GOTHOFREDUS Zenner/ Alt. Italico

sermone legibus metricis alligato suam erga di-
scedentem testabuntur pietatem. Vale & si ul-
tae meae apud te preces valuerunt, quod scio, mul-
tas plurimum valuisse, haec ut valeant,
effice! P. P. Altenburgi VI. Eid. Junl.

A. C. clb lbc LXXVI.

W. H. K.



B.I.G.

Farbkarte #13

PK 3715-23 X 1862369

II h
483

B. F.
Ad
**LUDUM SCAC-
CHIUM**

In
LUDO ALTENBURGENSI
SERMONE VALEDICTORIO

V. Eid. Junii A.C. cl. lxxvi.

describendum

Omnes honestæ recreationis Fautores
officiose atqve amanter

invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
RECTOR.

Altenburgi, apud Gothofredum Richterum,
Typographum Ducalem.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)